Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-437538-p0001-9

EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

Lib. 7

6.

LITERARUM SERVILIUM HEBRAICARUM CLARA ET PERSPICUA EXPLICATIO

QUA

Solidè per varia & illustria exempla demonstratur quàm illarum cognitio sit necessaria.

Prælecta in inclyta Academia Heidelbergensi, & jam in lucem edita

AB

HERMANNO RENNECHERO
Hebrææ linguæ ibidem
Professore.

Minimarum rerum cognitio ad magnas res intelligendas, persæpe est maximè necessaria.

BASILEÆ,
Typis CONRADI WALDKIRCHII.
cIↃ. IↃ. XCIX.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-437538-p0004-6

PRÆCLARA ERVDITIONE, ATQVE INSIGNI PIE-tate Ornatissimis juvenibus,

DN. M. GERHARDO CAESARIO, Traiectensi, JOHANNI BOGERMANNO, Frisio, discipulis suis longè carissimis, ac amicis sempiterna benevolentia conjunctissimis prosperum & felicem succes-sum & eventum optat,

HERMANNUS RENNECHERUS.

ETSI selectissimi adolescentes hoc nostro tempore complures prophetica scriptura versiones singulari DEI beneficio habeantur, quæ magno cum fructu legi possunt: tamen nihilominus multa in illis, quæ humanum ingenium sapiunt, & ab omnibus usque-

quaque non probantur, reperiuntur. Itaq; omnibus modis præstat, ut illarum versionum veritas ex ipsis fontibus hauriatur, quàm ex his vel illis rivulis quandoq; turbidis, quandoq; insipidis delibetur. Nam non tam credendũ est translationi, quàm nativæ linguæ, unde in aliam linguam (ut rectè scribit Augustinus lib. 15. de civitate Dei, cap. 13.) per interpretes translatio facta est. Vera enim & solida cœlestis doctrinæ cognitio multò tutiùs & rectiùs ex nativa lingua, tanquam ex proprio fonte, quàm ex aliqua peregrina lingua percipi potest. Quapropter D. Hieronymus vir Hebrææ linguæ peritissimus, verissimè in commentario in Malachiæ cap. 8. scriptum reliquit, ubi sic inter cætera ait: Multò purior manat fontis unda, quàm fluit rivuli aqua. Nam Hebræa lingua hoc habet præ cæteris singulare, nimirum quòd vim vocum ex intima ipsarum naturæ eruat, & in abditas naturas penetret, atq; earũ proprietates explicet, sic ut veritatis sedula indagatrix, & interna rerum magistra non immeritò dici possit. Quocirca vo-

cum

PRAEFATIO.

cum Hebraicarum cognitio, est verarerum peritia: nam voces sunt rerum symbola. Illis igitur non intellectis, res quoque ignorentur necesse est. Ubi ergo nulla est Hebrææ linguæ cognitio, ibi Propheticæ scripturæ ignorãtia regnet oportet. Unde errores plurimi, quasi agmine facto prosiliunt & subingrediuntur. Nam vocum ignorantia, rerum ignorantiam ex sese gignit, & producit. Itaq; hoc fixum, & ratum esto, quod mediocris linguæ Hebrææ cognitio quibusvis cõmentariis, quæ absq; huius linguæ cognitione conscripta sunt, multis modis præstat. Quare hæc linguæ iure quodam clarum & perspicuum occultarum rerum speculum appellanda est. Deinde hæc lingua peculiares quasdam habet phrases, & singularia quædam dicendi genera, quæ absque eius cognitione à nullo rectè intelligi, & dextrè explicari possunt. Illorum ergo sincera cognitio, & genuina interpretatio ex hac lingua, tanquam ex primo, & proprio fonte haurienda est. Præter hæc, peculiari quadam in explicando, & docendo perspicuitate est

prædita. Quoties enim vel ambigua dicta, vel obscuræ sententiæ in propheticis scriptis occurrunt, ea statim in sequentibus dilucidè declarantur tamq; clara reddantur, ita ut posteriora dicta, & sententiarũ membra sint priorum quasi quædam perspicua exegemata, & dilucidæ declarationes. Ex his jam dictis hoc efficitur, nempe quòd huius linguæ cognitio Theologo non minus sit necessaria quàm piscibus aqua. Sanè quod arma sunt militi ad victoriam in pugna consequendam, hoc etiã Theologo ad genuinum propheticæ scripturæ sensum indagandum & obtinẽdum est linguæ Hebraeæ cognitio. Quare selectissimi Domini adolescentes, vos toto animo, & rogo, & oro sæpius & iterum, ut ad hanc linguã perdiscendam quàm constantissimi maneatis, alioqui cælestis doctrinæ veritas, eiusq; certitudo vos fugiet, nescio etiam quibus coniecturis impliciti, quibusq; opinionibus suspensi hærebitis, quo sanè nihil est tristius, nihil peius, nihilq; periculosius à quopiam excogitari, & dici potest. Nam qui prophetica oracula

cula absq; huius linguæ cognitione interpretari, aliisque explanare tentat, is multò plus homini sæpe cæco, & erranti quàm Deo semper & ubiq; veraci fidit. Nam quomodo Deo fidere potest cùm eius Verba quid propriè significent non intelligit. Moveant vos etiam quotidianæ seniorum querelæ, quibus suam miseram sortem deplorant, & juvenilem levitatem damnant, quòd hanc linguam in prima, & florida ætate non addidicerint. Nam hujus linguæ utilitas & emolumentum tunc demum se profert, cùm Prophetæ sic sunt explicandi, ut veritas ipsa ex fonte hebræo eruatur, & conspiciatur. Quare jam sic ratione adhibita studete, & hanc linguam sic perdiscite, ne olim vobis cum lachrymis dicendum sit, necessaria ignoramus, quia non necessaria addidicimus. Vobis etiam opera danda est, ut magis à doctorum, quàm à vestro judicio dependeatis. Nam juvenilia consilia, plerunq; sunt cæca, & optimarum rerum præcipitia. Nullum etiam mihi dubium est, quin hanc linguam magno studio, & indefessa diligen-

tia perdiscere, ut mihi promisistis, pergatis. Itaq; hunc brevem literarũ servilium tractatum vobis, ut charissimis discipulis, & intimis amicis, ad meam erga vos benevolentiam magis ac magis declarandam, & attestandam consecro, & sub vestro nomine in lucem emittere, & apparere volui. Licet hoc exiguum opus sit, & labor quibusdam inutilis videri possit: tamen harum literarũ cognitio ad propheticam scripturam explicandam est pernecessaria, & longè utilissima. Nam absq; harum literarum beneficio, nec tempus à tempore, nec modus à modo, nec persona à persona, nec genus à genere, & numerus à numero, nec conjugatio una ab altera, nec nomen à verbo, denicq; nec nomen unum ab altero rectè discerni potest. Imò sæpe fit, & accidit, ut ex mala unius literæ explicatione tota sententia vel corrumpatur, vel obscuretur. Itaq; harum literarum ministeria sunt sic parva, ut sine illis magna prophetarum oracula rectè neque intelligi, neq; explicari possint. Hæc igitur parva eo animo à me accipite, quo ego hæc vobis

vobis scribo, & consecro, mihi satis abundè satisfactum est, ubi audiero hanc dedicationem vobis & gratam & utilem esse. In posterum verò si Deus velit, & vixero, totam Grammaticã Hebraicam per partes singulis semestrib. in lucem sum emissurus, quemadmodum vobis, & multis aliis adolescẽtibus in variis Academiis promisi. Nihil etiam dubito, quin hunc qualemcunque harum literarum tractatum benigno animo accipere, & serena fronte perlegere sitis paratissimi. Valete in Christo unico Servatore nostro benè, & felicissimè, meq; vestrum Rennecherum vos unicè & impensè amantem redamare constanter, & fideliter pergite.

AD BENEVOLUM ET CANdidum Lectorem.

BEENEVOLE lector, hic brevis literarum Servilium tractatus, ne te tanquam novus labor insolitusq; fœtus percutiat & commoveat, quasi à gravioribus rebus ad res minus necessarias meditandas & perpendendas excitatum & traductum esse velim. Nam in omni disciplinarum genere sunt res magnæ, sunt & parvæ, eæq; sæpe sic inter se comparatæ, ut res magnæ sine parvis rectè intelligi, atq; in suũ usum converti & accõmodari minimè possint: sic etiam in hac sancta & veneranda lingua Hebræa, usuvenit. Nam in hac lingua sunt sententiæ magnæ, sunt eximiæ phrases, sunt singulares idiotismi, sunt præstantes hebraismi, sunt schemata elegantiarum plena, sunt dicendi genera omnium pulcherrima & jucundissima, sunt denique luminatum troporum, tum figurarum longè clarissima. His sermo Hebræus passim plenus est & redundat. Præterea sunt in syntaxi Hebræa literæ serviles, quæ per se consideratæ nullius ferè momenti sunt nihilq; certi significant, verùm ubi aliis dictionibus jungũtur, illarum usus & ministeria sunt præstantissima & cognitu maximè necessaria, idque usque adeo, ut sæpe tota sententia propter

unius

unius literæ ſervilis malam explicationem prorſus corrumpatur vel omnino obſcuretur, & ſuſpenſa hæreat, imo etiam ſæpe plus negotii diſcẽtibus faceſſunt, quàm ipſa Nomina & Verba. Itaque aliquoties à multis & doctiſsimis adoleſcentibus, ut literarum ſervilium officia, & uſus perſpicuè & planè explicarem, rogatus ſum, quod ſanè ſalva & illæſa animi conſcientia, tum ipſi rei & veritati, tum ipſis adoleſcentibus, tam honeſta & utilia petentibus, denegare nec potui, nec debui. Promiſsio autem ad tempus fuit ſuſpenſa & dilata, propter nefarios quoſdam homines, quorum hæc poſtrema ſecula magnam copiam paſsim effundunt, quibus mihi jure cõſcientiæ reſpondendum fuit, nam diabolus per eos hoc molitur, ut vera doctrina de perſona Chriſti ejuſq; officio corrumpatur vel prorſus aboleatur. Jam verò cum aliquid otii nactus ſim, promiſſum laborem aggreſſus ſum, & non deſiſtam, niſi prorſus abſolutus & ad finẽ perductus fuerit. Hunc tractatum de literis ſervilibus ideo præmitto, quia earum uſus ut eſt omnium frequẽtiſsimus, ſic etiam eſt maximè neceſſarius. Te autem benevole lector toto animo rogo, ut hunc meum laborem non dedignari, ſed placidè & benignè acceptare velis, eum in uſum ſtudioſæ juventutis in lucem emitto. Si quid minus explicatè hîc ſcripſi, hoc benignè corrigas oro, vel me

ejus admoneas, me docilem invenies. Sum enim ita affectus, ut à docto & honesto viro emendari quàm commendari malim; si autem aliquid boni inde perceperis, pro eo mecum DEO age gratias. Præterea benevole lector, te prorsus exoratum volo, ut hanc utilissimam maximeq; necessariam linguam quantum poteris promoveas, sciens quod neq; prophetica oracula neq; apostolica scripta rectè & sincerè intelligi sine hujus linguæ beneficio, nemo hæreticis respondere, nemo certior de veritate sensus sacræ scripturæ, nemo lites de versione exortas componere, nemo commentaria cum judicio legere poterit, nisi hanc sanctam linguam aliquatenus addidicerit. Licet multi viri reperiantur, qui periphrasticas habent conciones, idq; florido dicendi genere, tamen ubi scripturarum genuinus sensus ex Hebræo fonte, tanquam ex solidissimo veritatis fundamento demonstrandus erit, tunc qui antea erant cum admiratione facundi, erũt quovis pisce magis muti. Nam, rectum & sincerum divini verbi sensum non tenere, aliisque proponere, est tum docentibus, tum discentibus longè periculosissimum. Quare benevole lector propter gloriam DEI, propter hominum salutem, propter Christianę religionis veritatem & certitudinem, hanc linguã pro virili nocte dieque promovere stude, hoc si feceris divinam

nam benedictionem & in te, & in tuos derivaveris. Qui autem hujus linguæ ſtudium impediunt, & alia neſcio qualia ſtudia quaſi magis neceſſaria honeſtis adoleſcentibus præſcribunt & injungunt, quomodo divinam maledictionem & vindictam effugituri ſint, ipſorum perverſis & maledictis conſcientiis judicandum & concludendum relinquo, tales reipſa declarant, quod ventrem magis ament, quàm DEI gloriam & communem hominum ſalutem. Vale Lector chariſsime in Chriſto unico ſervatore noſtro benè & feliciter, veſtrumque Rennecherum vos impensè amantem, redamare conſtanter & fideliter pergite.

DE LITERIS SERVILIBUS ET EARUM OFFICIIS.

HEBRAEARUM *literarum sunt Viginti duæ, quæ per legitimam artium* διχοτομίαν, *æqualiter in duas partes dividuntur, nempe in Radicales & Serviles. Radicales Hebræis dicuntur* שֹׁרֶשׁ יוֹת *quod perpetuò ad ipsam radicem, ejusq; substantiam tanquam partes essentiales pertineant. Idq; usq; adeò, ut ex dictione aliqua sine certæ ejus jactura & abolitione tolli non possint. Continentur autē his nominibus:* חֲט סֶפֶר גֶּזַע צָדֵק

Serviles dicuntur Hebraicè נוֹסָפוֹת *id est, additæ, quòd propter hoc vel illud notandum aliis dictionibus addantur: His vocibus comprehensæ sunt:* מֹשֶׁה כָּתַב אֵלֵינוּ *Hæ literæ sunt in duplici ratione. Aliquando ad ipsam radicem pertinēt: & ejus pars sunt: Aliquando etiam sunt literæ ancillantes; & sunt quasi dictionum ancillæ, aliisq; vocibus inserviunt, vel in principio, vel in fine, vel medio. Hoc nomine à radicalibus differunt quod hæ nunquam ministrent sed perpe-*

tuo ad ipſam vocem pertineant & nullo alio officio fungantur.

De literarum Servilium miniſteriis.

His literis triplex eſt miniſterium à magiſtris linguæ Hebrææ aſſignatum in genere. Aut enim verbis, aut nominibus, aut particulis, adſunt & illis ſæpe inſerviunt. In verbis quando deſerviunt, vel formant conjugationes, vel tempora diſcernũt, vel numeros, vel perſonas & genera conſtituunt, & horum alia ab aliis diſcriminãtur, vel denicꝫ verborum caſus indicant, vel per paragogen in fine aliis dictionibus ad ornatum adduntur.

In nominibus quando miniſtrant, vel ipſa nomina formant, vel ipſorum genera & numeros demonſtrant, vel præpoſitionum & adverbiorum loco uſurpantur, aut denicꝫ pronominum vicem ſubeunt, aliisꝫ declinationibus indeclinabilibus famulantur. itaqꝫ hæ omnes literæ, quæ tali munere funguntur, ſerviles vocantur.

Inventæ autem ſunt hæ literæ ad ſerviendum, brevitatis gratia. Nam Hebræi una litera tantùm præſtant quantum Latini non niſi multis dictionibus. Sic laborem diſcendi quamplurimum ſublevant & imminuunt.

De

De loco literarum Servilium.

Hic ſtudiosè notandum eſt quòd hæ literæ ſerviles non quovis loco indifferenter ſua miniſteria ſubeant.

I. *Quædam vel in principio tantùm dictionũ, ante literas radicales ponuntur, ejuſmodi ſunt quatuor, hac voce comprehenſæ:* אֶלְבֵּשׁ *induam.*

II. *Quædam in calce vocum poſt ultimam radicalem, & ſimul ante literam radicalem ſua officia faciunt, ut hæ quatuor* כֵּן הֵם *Hæ literas radicales nunc præcedunt ut duces, nunc ſequuntur ut famuli.*

III. *Quædam nunc in principio, nunc in medio nunc in fine officia ſua præſtant: ut* יוֹת *Harum omnium officia ſunt neceſſaria & ita neceſſaria, ut ea nullo alio modo, quàm per illas literas ſignificantur, fieri poſſint. Quare magna diligentia adhibenda ut innoteſcant.*

Poſtremò hic videndum, quæ ſit genuina uniuſcujusq; literæ ſervilis punctatio. Hæc ubi explicata & evidentibus exemplis demonſtratæ fuerint, hujus linguæ ſtudium erit & jucundius & facilius ejusq; emolumentum & præſtantia magis magisq; in animis diſcentium dilucebit, & inſatiabilis tum legendi tum meditandi voluptas ſubſequetur. Atq; hæc in genere dicta ſunto. Nunc in ſpecie ſingularum officia decla-

randa & quotuplicia ea ſint, oſtendendum erit.

In earum autem explicatione eundem ordinem quo in tribus illis vocibus poſitæ ſunt obſervabimus. Prima igitur eſt מ

DE LITERA מ

Hæc litera cùm ancillatur, tam in capite, quàm calce dictionis inſervit. In capite habet complures uſus, & fere omnibus partibus orationis inſervit, ſed præcipuè nominibus & verbis.

Cùm nominibus ab initio dictionis inſervit, ſeptem diſtincta officia habet.

I. Format & conſtituit varia nomina, idque in omnibus verborum ordinibus. In perfectis nominibus, major pars eorum formatur ab Infinitivo in kal ultimo puncto interdum mutando. Tunc מ *ſæpius ſcribitur cum Chirik parvo ſequente Scheva muto: ut* מִשְׁפָּט *judiciū,* מִסְתָּר *abſconſio latibulum. Sæpe etiam* מ *afficitur puncto Pathach, ut* מַרְבֵּץ *cubile brutorum* מַכְאֹב *cruciatus corporis. Rarius ſortitur punctum Segbol, ut* מֶרְחָב *latitudo,* מֶרְכָּב *ephippium. Ad hæc & ſimilia nomina formanda, litera* מ *eſt uſque adeo neceſſaria, ut ſine ea nec nomina eſſe nec aliquid certi ſignificare poſſint.*

II. Partem ab aliqua multitudine deſumptam ſignificat. Tunc nominibus ſubſtantivis præponi ſolet & valet præpoſitiones: de, è, ex, à, ut

Gen.

Gen.3.v.3. מִפְּרִי *de fructu. Psal.12.v.2. defecerunt fideles* מִבְּנֵי *ex filiis. Hoc* מִ *sumitur ex integra præpositione* מִן *ex. Sed quando cum aliis vocibus componitur & in unam dictionem coalescit, tunc litera abiicitur, & per Daghes in sequente litera resarcitur. Sic regulariter sub se habet Chirik parvum sequente Daghes: sed si ante literas gutturales vel* ר *venerit, tunc pro utroq; puncto habet Tseri ut Gen 3 v. 2. ne manum extendat & accipiat* מֵעֵץ *ex arbore, Psal. 119. in litera* ר*: recessit procul* מֵרְשָׁעִים *ab impiis. Hic observandum est quòd Daghes ante literas gutturales* ה *&* ח *nonnunquam absorbetur, ut* מְחוּט *de filo. Ante Iod Schevatum habet Chirik Scheva sub Iod evanescente, ut* מִיהוּדָה *de Iuda.* מִימִין *à dextera. Hinc pauca excipiuntur, in quibus Iod puncto Dages afficitur, & pronunciatur, suumq; Scheva sub se retinet, ut Dan.12.v.2.* מִיְּשֵׁנֵי *ex dormientibus. 2. paralipo. 20.v.11.* מִירֻשָּׁתְךָ *de hæreditate tua. In his & similibus dages literæ Iod Schevatæ irregulariter imprimitur, alioquin regula est, Iod Schevatum, nisi in nominibus vivam naturam habentibus, puncto Dages affici non solet. Vnum nomen anomalon & irregulare est: videlicet* יְהוָה *ante quod Mem sortitur Zeri & Iod suum Scheva sub se retinet, ut* מִיְּהוָה *à domino. Literæ serviles ante nomen Iehovæ à nomine* אֲדֹנָי *domino*

ſuam punctationem accipiunt, quia illud nomen Iehova ab hoc nomine Adonai ſua puncta, ſuamq; formam, quoties ſeorſim per ſe ponitur, accipit.

III. *Aliquando valet præpoſitionem cum: ut Ieſ. 57. v. 8. Iniuſtis fœdus* מֵהֶם *cum illis.*

IV. *Sæpe ſupplet vicem præpoſitionis, propter, ut Pſal. 12. v. 6. Surgam* מִשֹּׁד *propter vaſtationem* מֵאֲנְקַת *propter gemitum. Item Pſal. 107. v. 17. Eſai. 53. v. 9.* מִפְּשָׁעַ *propter prævaricationem. Hoc* מ *eodem modo punctatur, quo punctari ſolet quando eſt præpoſitio.*

V. *Hebræi per hanc literam gradum comparationis quo deſtituuntur, circumloquuntur. Tunc illi nomini quod comparando ſuperatur præponitur & præcedens adjectivum accipit vim & ſignificationem gradus Comparativi, ut Eccleſiaſtici 7. 1. Bonum nomen* טוֹב מִשֶּׁמֶן *præ unguento bono, id eſt, melius. Pſal. 63. 4. Miſericordia tua eſt melior* מֵחַיִּים *præ vita. Hoc Mem regulariter habet punctum Chirek parvum ſequente Daghes, vel Tſeri pro utroq; puncto, ſi ſequens litera puncti Daghes non ſit capax. Hoc Mem quandam abundantiam & exceſſum per comparationem denotat, & ſemper illi nomini præponitur quod comparando ſuperatur. Quod enim nomen præcedit, aut majus eſt vel magis optatur & requiritur.*

VI. *Aut*

VI. Ante nomina S. Trinitatis positum causam efficientem, quæ rem de qua agitur producit, designat, ut Psal. 37. v. 34. Gressus viri firmantur מֵיְהוָה *à Domino: & Psal. 118. v. 24. Hoc factum est* מֵאֵת יְהוָה *à cum Domino.*

VII. Nominibus temporum præpositum, modum unius temporis ad alterum connotat, Psal. 25. v. 6. Recorderis Ichova misericordiarum tuarum, quia מֵעוֹלָם *à seculo. Hoc modo acceptum, continuam ac perpetuam temporum successionem & durationem designat. Hæc sunt hujus literæ officia in principio dictionis in nominibus.*

De officiis hujus literæ in verbis in principio dictionum.

Hæc litera in verbis habet duo tantummodo ministeria.

I. Quinq; participia format, primò Benoni & Pual conjugationis Piel: ut מְפַקֵּד *diligenter visitans,* מְפֻקָּד *diligenter visitatus. Deinde Benoni & Paul conjugationis Hiphil: ut* מַפְקִיד *faciens visitare,* מְפֻקָּד *factus est visitari. Hic Mem cùm est activum, perpetuo habet Pathach sequente Scheva muto. In passivo participio habet tria puncta. 1. Kibbutz sequente Scheva muto. 2. Habet Càmetschatuph sequẽte Scheva muto, ut* מְשֻׁחָת *corruptus est. 3. Similiter habet Cametschatuph sequente Cametscha-*

teph מְעָמַד *constitutus est. Hæc puncta habet semper cùm prima est gutturalis. Format etiam participium Hithpaël, ut* מִתְפַּקֵּד *Hoc Mem perpetuo habet Chirik sequente Scheva muto.*

II. *Format & Gerundia in do, quæ explicanda sunt per particulam prohibendi, ne,* מִפְקֹד *à visitando, id est, ne visites. Hoc mem tribus modis punctatur. 1. Sortitur Chirik parvum sequente Daghes, ad defectum literæ Nun supplendum. Hoc perpetuo verum est, si prima non extiterit gutturalis. 2. Afficitur puncto Tseri pro utroq; ante literas puncti Daghes non capaces,* מֵעָזֹב *à deserendo, ne deseras. 3. Habet Chirik paruum cũ virgula Meteg loco Daghes, sed hoc admodum rarum est* מֵרָדֵף *à persequendo ne persequaris. Hîc observãdum, quòd Daghes aliquando à litera gutturali aspirationis fortioris prorsus absorbeatur,* מִהְיוֹת *ab esse, id est, ne sit. Hæc sunt hujus literæ ministeria ab initio vocum in verbis.*

Aliquando hæc litera præponitur adverbiis loci, & tunc motum à loco notat, ut מִשָּׁם *ex ibi id est, ex eo loco,* מֵאַיִן *ex quo loco.*

Præponitur etiam adverbiis temporis, ut מֵעַתָּה *ex nunc, id est, ex hoc tempore. Ex his adverbiis facit nomina, non forma scribendi, sed vi significandi.*

Postremò pronominibus quibusdam præponi-

tur,

tur, tunc perpetuo sub se habet Chirik parvum sequente Daghes, vel Tseri sequente gutturali, מִזֶּה *ex illo* מֵהֶם *ex illis.*

Hæc sunt hujus literæ officia quando est præpositiva. Nunc quæ habeat servitia in fine dictionum videndum erit. In fine autem dictionũ inservit nominibus, verbis & adverbiis. In nominibus habet officia quinq;.

I. *Format pluralem numerum masculini generis, ut* דִּבְּרִים *verba : Sic etiam in participiis tam activis quàm passivis masc. generis, eundem numerum constituit : ut* פְּקֻדִים *visitantes sunt* פְּקוּדִים *visitati sunt.*

II. *Format etiam pluralem numerum in quibusdam nominibus fœminini generis, ut* נָשִׁים *mulieres* עָרִים *civitates. Hæc & his similia licet terminationem masculinam habeant, tamen reipsa sunt fœminini generis, quod ex adjectivis, vel verbis, quæ illis in constructione adjunguntur deprehenditur.*

III. *Numerum dualem constituit in iis rebus, quas Deus in natura geminas fecit, ut* רַגְלַיִם *pedes. Hæc & his similia habent ante se Iod mobile cum Chirik parvo.*

IV. *Aliquando habet vim pronominis relativi masculini gener. plur. num. & tertiæ personæ, ut* מַלְכָּם *rex eorum. Hoc Mem semper ante se habet Camets cum accentu, & genitivum plu-*

ralem designat. Estq; concisum pronomen ab integro הֵם *ipsi: sed* ה *per aphæresim in affixione abjicitur.*

V. In quibusdam imperfectis nominibus in fine adjicitur, & tunc nomina illa degenerant in adverbia, ut יוֹמָם *interdiu à* יוֹם *dies. Huc etiam pertinent hæc & alia similia,* רֵיקָם *inaniter, id est, sine profectu & fructu. Et* חִנָּם *gratis, frustra, id est, sine aliqua certa causa. Talia quotquot plura sunt, ea sunt nomina vel substantiva vel adjectiva. Verùm, ubi Mem per Paragogen in fine additur, eleganter in adverbia degenerant, atq; ut plurimùm cum verbis construuntur, suamq; convenientiam habent. Sic acceptũ semper ante se habet Camets cum accentu. Hæc sunt hujus literæ officia in fine nominum.*

In verbis cum in fine inservit, est affixum tertiæ personæ plur. num. masc. gen. Estq; casus accusativi significans, eos vel illos.

I. *Affigitur tertiæ personæ præteriti sing. num. masc. gen. ut* פָּקָדָם *visitavit.*

II. *Affigitur secundæ personæ, fœm. gen. sing. num.* פָּקָדְתָם *visitavit eas. In aliis vocibus quæ vel Schurek vel Chirek terminantur, nullum aliud punctum præter ea suscipit, ut in tertia plurali communi* פָּקְדוּם *visitaverunt eos, & in prima persona communis gen. & secunda persona fœmi. gen.* פְּקַדְתִּים *visitavi eos, vel visitasti eas*

fœmi-

fœmina. Sic ubiq; hoc affixum præcedente vel Schurek vel Chirek, nullum præter hæc puncta ſuſcipit.

In Benoni & Infinitivo habet ante ſe Cametz, ut פֹּקֵד *viſitans eos,* פִּקְדָם *viſitare eos.*

In Imperativo & Futuro habet perpetuò ante ſe Tſeri, ut פְּקֹד *viſita eos* יִפְקְדֵם *viſitabit eos.*

DE LITERA ש

Hæc litera eſt conciſa, & ſumitur ex integra dictione אֲשֶׁר. *Aleph abjicitur ſine ullo complemento. Reſch etiam abjicitur & per Daghes in ſequente litera compenſatur. Seghol eſt ejus proprium & genuinum punctum. Eſtq; relativum ſignificans, qui, quæ, quod, eſtq; eius generis, numeri, caſus & perſonæ cuius dictiones fuerint quibus præfigitur. Semper cum dictione componitur, & extra compoſitionem nõ uſurpatur. Inſervit tantùm à capite dictionum. Officium eius eſt duplex.*

I. *Præponitur nominibus, ut Pſal. 144. v. 15. Beatus populus* שֶׁיְהוָה *cujus Dominus. & Pſal. 146. v. 5.* שֶׁאֵל *cujus Deus.*

Deinde etiam verbis, ut שֶׁעָלוּ *qui aſcenderunt, item aliis dictionibus pronominibus & adverbiis.*

Regulare ejus punctum eſt Seghol ſequente Daghes, rarò Pathach ſequente Daghes. Ra-

rius Camets, ante gutturalem in compensationem abjecti Daghes. Rarissimè habet Scheva שְׁאֲנִי *quis ego.*

II. *Valet conjunctionem rationalem seu causalem, significantem quod vel quia, Psal. 123. v. 4.* שֶׁשֵּׂם *quia illuc. & lib. Cantic. cap. 1. v. 6.* שֶׁאֲנִי *quia ego.*

Hic usus est usitatior & in Rabbinicis scriptis frequentior. Diligens lector ex loci circumstantia & sensus tenore facile judicare poterit, quãdo vel relationem vel conjunctionem causalem significet.

DE LITERA ה

Hæc habet officia quamplurima & utilissima, & tam in principio quàm fine dictionum inservit. Ordo autem postulat, ut prius de ejus officiis, quæ ab initio habet, agamus.

I. *In nominibus format nomina aliquot, ut* הַכָּרָה *cognitio,* הַנָּחָה *quies.*

Hoc he sub se habet Pathach, aliquando sequente Daghes, aliquando sequente Scheva muto vel ejus loco = sub gutturali.

II. *Valet notam demonstrandi, sic dictum quod rem notam significet, & eam velut intento digito demonstret, & ab aliis separet, & ob id dicitur He discretivum, quòd rem cui præponi-*

ponitur ab aliis discernat, ut הַדָּבָר *illud ipsum verbum. Alio nomine dicitur He emphaticum, quòd magnam emphasin secum adferat, ad id de quo agitur significantius exprimendum. Lectorem de diligenti lectione admonet. Vsus ejus est in rebus magnis & observatu dignissimis & maximè necessariis,* אַשְׁרֵי הָאִישׁ

Venit ab integra voce הָא, *Cùm coalescit cũ aliis vocibus. Aleph abjicitur & per Daghes in sequente litera compensatur. Deinde* ־ *mutatur in Pathach quia longum punctum ante Daghes non ponitur sine accentu.*

Præponitur autem tam adjectivis quàm substantivis, & utrobique sub se habet Pathach sequente Daghes, ut הַדָּבָר *illud verbum* הַקָּדוֹשׁ *ille sanctus.*

Quòd si prima litera non fuerit capax, Daghes habebit sub se Cametz, ut ante gutturales & Resch, ut הָאִישׁ *ille vir,* הָרָשָׁע *ille impius.*

Aliquando ante gutturales Chet & He, Daghes absorbetur, & non per Camets compensatur, quia hæ duæ literæ non habent eam vim ut Daghes protrudant sub literam præcedentem, ut הַחֶסֶד *illa misericordia,* הַהֵיכָל *illud palatium. Ante Iod Schevatum habet simplex Pathach. Nam Iod Schevatum in rebus inanimatis non Daghessatur,* הַיְאוֹר *illa lux.*

In dictionibus polysyllabis, quarũ prima est gutturalis cum Camets, ה *habet Seghol. ut* הֶעָשָׁן *ille fumus. Hoc solum verum est ante literas* עהה, *quæ quia fortioris aspirationis sunt, lenioris pronunciationis punctum ante se requirunt, ut lectio & facilior reddatur & gratior. Ante Aleph verò semper habet Camets, idq; Euphoniæ causa. Aleph enim est lenissimæ aspirationis, ideo punctum sonantius & gratius ante se requirit.* הָאָבִיב *Aprilis.* הָאָדָם *ille homo.* הָאָרֶץ *illa terra. Quando habet Seghol ante Aleph non est demonstrandi nota sed vocandi, ut Mich. 2. v. 7.* הֶאָמוֹר *ô dicta. Vel est index interrogationis Ezech. 28. 9.* הֶאָמוֹר תֹּאמַר *num dicendo dices? Si dictiones fuerint monosyllabæ,* ה *habet Camets, idque euphoniæ causa: ut* הָהָר *ille mons. verùm ante literam Chet cum Cametz & accentu distinguente, he demonstrativum retinet suum Segol, ut Levit. 16. v. 20,* הֶחָי *& Ezech. 45. v. 23.* הֶחָג *illa solennitas. Quod si chet habuerit sub se Patach, he similiter habebit Patach ut Levi. 16. v. 21.* הַחַג

OBSERVATIONES.

Habet hæc litera singulares quasdam observationes, quæ ut familiarius accipiantur & intelligi queant, diligenter notandæ sunt.

1. ה *demonstrativum rarissimè ante se habet literam*

literam ſervilem. Quando ergo ei præponitur litera talis, tunc ה *eliditur & punctum ſuum ſub ſervili tanquam certum indicium relinquit: ut* כְּבֵן *ſicut ipſe filius. Hoc fit ut vitetur concurſus ſervilium. Pauca exemplareperiuntur, in quibus* ה *demonſtrativum ante ſe habet ſervilem,* Pſal. 36. v. 6. מֵהָרֵי & בְּהַשָּׁמַיִם *ex ipſo monte. Talia ſunt rariſſima quæ regulam generalem non evertunt.*

II. *Rariſſimè participiis activis conjugationis Piel præponitur. Reperitur hujus modi unicum exemplum, in quo tamen* ה *eſt eliſum, & ſuum punctum ſub litera præcedente relinquit cum nudo pathach, quod producitur per Metheg, ſic ut ſyllaba cū aliqua mora ſit legenda: ut* לַמְנַצֵּחַ

III. *Nominibus propriis* ה *demonſtrativum non præponitur, quia illa ſua natura rem unam & certam denotant. Hinc excipitur unum nomen proprium ante quod he demonſtrativum ponitur,* Gen. 1. v. 27. *et creavit Deus* הָאָדָם *ipſum Adamum. Sic etiam* Gen. 4. v. 1. *hoc idem nomen habet he demonſtrativum præpoſitum, ut* הָאָדָם *ipſe Adamus cognovit uxorem ſuam.*

IV. *Non invenitur ante nomina ſubſtantiva ſequente genitivo caſu nominis ſubſtantivi: quia genitivus caſus rem certam & determinatam indicat.*

V. *Non ponitur ante nomina, quibus in fine*

adjuncta sunt affixa. Nam affixa rem notam per se arguunt.

VI. Ante dictiones consignificativas, seu ante partes orationis indeclinabiles non inservit ה *demonstrativum, exceptis quibusdam pronominibus Demonstrativæ speciei, ut* הַזֶּה *hic.*

VII. Ante literas serviles מֹשֶׁה וְכָלֵב, *non venit* ה *demonstrativum.*

IIX. Aliquando hoc ה *nihil notificat, sed ad ornatum adhibetur scripturæ. Gen. 42. v. 27. Aperuit saccum suum* הָאֶחָד *unus.*

IX. Sæpe ad majorem alicujus rei demonstrationem exprimendam, pronominibus demonstrativis præponitur, ut הָהוּא *ille ipse.*

X. Semper est ejus numeri, generis & casus, cujus fuerint dictiones, quibus præponitur. Præponitur autem tertiis personis: primæ & secundæ dictionibus non præfigitur, quia illa per se nota sunt, & demonstratione non egent.

III. He aliquando habet vim relativi, & ponitur tum ante participia verborũ, ut Psal. 146. 6. *Dominus fecit cœlum & terram* הַשֹּׁמֵר *qui custodit, & sic regulariter habet pathach sequente Daghes. Sed ante participia conjugationis Piel singularia, Daghes ex litera Schevata excidit, & He sub se habet nudũ Pathach, quod virgula metheg producitur, ut* Psal. 94. 10. הַמְלַמֵּד *qui docet. Ante gutturalem habet Camets*

הָעֹבֵר *qui transit. Quòd si gutturalis sub se habeat Camets, tũc* ה *sub se habet Segol, ut Ios. 10. v. 24.* הֶהָלְכוּא *qui iverunt ambulârunt. Aliquando etiã sed rarius hoc* ה *relativũ ante præterita, ut Psal. 147. v. 14.* הַשָּׂם *qui posuit. Hoc He semper convenit cũ verbis in numero & genere.*

IV. Aliquando notat excellentiã quandam & vim superlativi gradus, idq; trib. modis. 1. quãdo adjectivo substãtivo postpositio præponitur, ut Psal. 133. v. 2. sicut unguentũ הַטּוֹב *ipsum bonũ, id est, optimum. 2. quando substantivo pariter & adjectivo præponitur, Ion. 1. v. 2.* הָעִיר הַגְּדוֹלָה *civitas illa magna, id est, maxima. 3. quando in constructione genitivo casui præponitur ut Gen. 6. v. 5.* אַנְשֵׁי הַשֵּׁם *homines illius nominis, id est, maximi nominis. In hujusmodi exẽplis* ה *est valde emphaticum & excessum quendam significat atq; superlativum exprimit ac repræsentat.*

V. Sæpe est adverbium vocandi, & sic est valde patheticum. Nam vel stuporem perstringit, ut Deut. 32. 1. audite הַשָּׁמַיִם *ô cœli. Vel incisionem sarcasticam refert, ut Psal. 9. v. 7.* הָאוֹיֵב *ô inimice. Vel hortationẽ includit Mich 2. v. 7.* הָאָמוּר *ô dicta. Omne* ה *nomini præpositum est vocativi casus nota, quando præcedit verbum secũdæ personæ* עֲלוּ הַסּוּסִים *ascendite ô equi. Hoc He eandem habet punctandi rationem, quam He demonstrativum.*

VI. Aliis dictionibus præpositum sæpissimè vim interrogandi habet, tunc nominibus verbis & particulis præponitur. Semper habet magnam vim ad animos commovendos & afficiendos. Regulariter habet Chatephpathach: ut הַשֹּׁפֵט *nũ judex.*

Verbis quando præponitur, præteritis participiis, Infinitivis & futuris inservit, ut הֲבָא *nũ venit?* הֲלֹא *numquid?* הַזֶּה *num ille? Sic Cateph Pathach est ejus regulare punctum, sed ante gutturalem puncto Camets non affectam habet simplex Pathach: ut* הָאִישׁ *num vir?* הָעַיִט *nũ volucris? Quia (autore Kimhi)* ה *cum puncto composito ante literam gutturalem nunquam ponitur. Nam Pathach requirit post se metheg quod cum composito puncto non potest conjungi propter contrariam quantitatem. Nam metheg sonum producit, quem composita puncta corripiunt. He igitur cum Pathach certam ac statam syllabam efficit.*

Quòd si litera gutturalis habeat Camets tunc He habet Seghol, ut הֶחָכָם *num sapiens. In verbis hoc etiam fit, ut* הֶהָיְתָה *num fuit. Idem fit in pronominibus, ut* הֶאָנֹכִי *num ego. Denig; si ante literas puncto Scheva affectas positũ reperiatur, tum Scheva expungendum erit & nudum Pathach ponendum, id fit ne duo Scheva initio dictionis concurrant, quod fieri non potest, sive*

ea

ea ſimplicia ſive cõpoſita fuerint. Gen. 27. v. 38. *ut* הַבְּרָכָה *num benedictio. Deniq; aliquando habet ſub ſe ſimplex Pathach ante literam gutturalem alio puncto, quàm Camets notatam, ut* הֵהֵם *Num ipſi. Hic obſervandum erit, quòd hoc He aliquando ſit He admirationis, quod eandem habet punctandi rationem quàm He interrogativum: quando verò vel interrogationis vel admirationis ſit ex contextu ſcripturæ & orationis ſerie cognoſcendum erit.*

VII. Hoc He ſæpe eſt genitivi caſus nota, ut דִּבְרֵי הַיָּמִים *verba illorũ dierũ. Item* אַשְׁרֵי הָאִישׁ *Beatitates illius viri. Talia exempla paſſim obvia ſunt & frequentantur, in quibus He demonſtrandi vim habet, & ſimul eſt genitivi caſus nota.*

De officiis hujus literæ ſolum in capite verborum.

Hæc litera à principio in verbis duo præſtat tantũmodo officia. I. Tres conjugationes, nempe Hiphil הִפְקִיד *viſitare fecit. Hophal, ut* הָפְקַד *factus eſt viſitari. Hæc ratio punctandi eſt firma & perpetua, quoties prima litera non eſt gutturalis: & Hithphaël, ut* הִתְפַּקֵּד *viſitavit ſeipſum. Qualia hæ conjugationes puncta habeant ſub He, ex Grammatica repetendum eſt.*

II. Infinitivo & imperativo conjugationis

Niphal præponi ſolet, ut ſic hi duo modi à præterito & benoni diſtinguantur. In hoc officio habet He ſub ſe Chiric parvum ſequente Dages, in compenſationem literæ nun abiectæ: ut, הִפָּקֵד *viſitari. Hæc punctandi ratio eſt perpetua, niſi prima litera radicalis ſit gutturalis, ante quam He habet ſub ſe Zeri, ut* הֶאֱכֹל *comedi.*

De officiis hujus literæ in fine vocabulorum, ac primo verborum.

In fine vocabulorum hæc litera officia habet multa, & ſcitu perneceſſaria.

I. *Sæpiſſimè eſt certa fœminini generis nota, tum ſemper ante ſe habet Camets cum accentu Grammatico: idq; ſolum uſum habet in præterito & utroq; participio,* פָּקְדָה *viſitavit fœmina.*

II. *Sæpe eſt affixum & relativum fœminini gen. tertiæ perſ. ſing. num. ut,* פָּקְדָהּ *viſitavit eã: ſic ante ſe habet Camets cum accentu, & in He Mappik.*

III. *In fine ſæpenumero eſt paragogicum, idq; tam in verbis quam in nominibus. In verbis tantùm habet locum in Infinitivo, Imperat. & futuro,* רָחֲקָה *procul receſſit:* מִכְרָה *vende. In imperativo obſervandum eſt, quòd utplurimum pro modo optandi aut hortandi accipiatur: ut,* קוּמָה *ſurge quæſo. In futuro diligenter obſervandum erit, quòd aliquando ante ſe habeat Segol*

ghol loco Camets; ut Psal. 20. v. 4. יְדַשְּׁנֶה *incinerabit, id est, in cinerem vertet. In nominibus* He *Paragogicum tertium locum habet, tum accētus residet in penultima discriminis ergo* לַיְלָה. *Vnum nomē cum* He *Paragogico anomalum & irregulare reperitur, quod accētum habet in vltima, ut* He *fœmininū, ut* חֶלְכָּה *pauper afflictus. Præterea hic observandum,* He *paragogicū duobus modis distingui ab* He *fœminino. 1. Quòd* He *fœmininum tantùm locum habeat in Præterito & Participiis, in reliquis modis & temporibus minimè. 2.* He *paragogicum tantùm subjungitur vocibus masculin. gen. ideo non mutatur genus unum in alterum.* He *fœmininum subjungitur quidem vocibus mascul. gen. sed tunc ex masculinis facit voces fœmininas. Sic à* פָּקַד *fit* פָּקְדָה, *& ex* בִּקֵּד *fit* בִּקְּדָה

IV. He *finale accedente litera Nun, cum* ־ *cōstituit syllabam,* נָה *quæ est formativa secundæ personæ plur. num. fœm. gen. ut,* פִּקַּדְנָה *visitate vos fœminæ. Deinde constituit etiam secundam & tertiam personam fœm. gen. plur. num. idq; in omnibus conjugationibus omnium ordinum; ut* תִּפְקְדְנָה *visitabitis vel visitabunt fœminæ.*

De officiis in fine nominum.

Hæc litera nominibus in fine addita, habet sex officia.

I. *Format & indicat genus fœmininum, habetq; perpetuo ante se* Cametz *& accentum: ut,* בְּרָכָה *benedictio. Sic omnia nomina, quæ desinunt in* He *servile, præcedente* Cametz *cum accentu, fœmina sunt. Hinc excipiuntur numeralia, quæ à tribus usq; ad decem, sub terminatione fœminina sunt masculini generis, ut* שְׁלוֹשָׁה *tres,* עֲשָׂרָה *decem.*

II. *He finale nominibus postpositũ, aliquando habet vim & sensum literæ* ל, *& motum ad locum denotat, unde* He *locale vocatur. Hoc nullis nisi nominibus locorum in fine adjicitur, & accentum semper habet in penultima, quo distinguitur ab* He *fœminino, ut* יָמָּה *ad mare, vel ad occidentem:* צָפוֹנָה *ad Aquilonem. Item* אַרְצָה *ad terram. Item* טְמִימָה *ad cœlum. In his & similibus* He *in fine adjũctum, vicem præpositionis* in *vel ad subit & supplet. Interdum* Lamed *ad majorem emphasin & rei veritatem magis exprimendam, nomini locali præponitur, ut Psal. 9. v. 17. Revertentur impij,* לִשְׁאוֹלָה *ad ipsum usq; infernum.*

III. *Aliquando designat motum unius temporis ad tempus aliud, Ex. 13. v. 20. observabis statutum hoc à diebus* יָמִימָה *ad dies. Hic observandum est, quòd hæc nomina, quæ* He *locale in fine assumunt, nihil in punctis mutent, quando in constructione ponuntur & genitivum regunt:*

gunt: מִדְבָּרָה דַּמֶּשֶׂק *in desertum Damasci.*

Huc pertinent omnia illa nomina, in quibus He fœminimum in ת *mutatur, & He paragogicum, ad amplificandam nominum eorum significationem additur: ut,* יְשׁוּעָתָה *omnimoda salus:* עֶזְרָתָה *justum & opportunum auxilium. Item* צָרָתָה *maxima angustia. Itē* עַוְלָתָה *summa perversitas. Talia quotquot plura sunt, habent vim longè maximā, tam in negando, quàm in affirmando. Nam id, quod negant, hoc ita negant, ut magis negari non possit: & vice versa, quod affirmant, hoc omnium maximè affirmant. Itaque utrumq; superlativi gradus vim habet. Deinde talia nomina nunquam in plurali numero, neq; in constructione, neq; affixione usurpata leguntur. Qui autem putant & scribunt, quòd in hujusmodi nominibus sint duo signa fœminina, scil. He & Tau, toto cœlo errant. nam si He in fine esset nota fœminini generis, utiq; accentum haberet in vltima. Nam generalis regula est: Fœminina in He desinentia, in ultima habent Camets cum accentu: sed in illis nominibus accentus residet in penultima, quod indicat, He esse paragogicum, & hoc discernit ab He fœminino.*

IV. Sæpè est relativum fœm. gen. quod vim pronominis habet: habetq; ante se Camets cum

accentu & intra se Mappick, ut דִּבְרָהּ *verbæ eius scilicet fœminæ.*

V. Observandum est, quòd He *aliquando ponatur vice literæ* Vau *affixæ: ut,* אָהֳלֹה *tentorium ejus. Hæc de hac litera, cùm servilis est, hactenus.*

DE LITERA כ

Hæc litera multa & insignia ministeria subit. Nominib. pariter & verbis tam in capite, quam in calce dictionum inservit.

In nominibus quando in initio inservit, quatuor habet officia,

I. Sæpissimè unius rei ad alteram facit comparationem, venitq; ab adverbio similitudinis כְּ *sic. Quando cum sequente dictione in unam vocem coalescit, Nun abiicitur. Vocatur ab Hebræis* כ הַדִּמְיוֹן *Caph similitudinis, propterea quòd diversas rerũ naturas in aliquo similes esse repræsentat & demonstrat: Tunc unius rei ad alteram adæquationem denotat, & præponitur ei rei, quæ forinsecus ad comparandum & illustrandum adhibetur: Tales similitudines magnã lucem reb. adferunt, ponunt id in conspectu animi, quod corporeis oculis cerni non potest, suntq; id rudioribus hominum mentibus, quod claræ conspicilla sunt calligantibus oculis. 1. Regu-*

lari-

lariter notatur puncto Scheva: Psal. 1. v. 3. כְּעֵץ *sicut arbor. 2. Habet Chirik parvum sequente Scheva muto: ut,* כְּנַחֲלִים *sicut valles. 3. Habet Pathach sequẽte Daghes:* כְּמוֹץ *sicut gluma: quia He demonstrativum abest, quod repræsentatur per Pathach & Daghes. 4. Ante literam quæ Daghes capax non est habet Camets pro utroq;:* כְּאָב *sicut pater. 5. Habet Seghol ante gutturalem Cameſſatam in polyſyllabis dictionibus:* כְּעָרִים *sicut civitates. 6. Ante gutturales compoſitum punctum habentes, habet ejus ſimplex & affine:* כַּאֲרִי *sicut leo. 7. Ante Iod Schevatum, ſortitur Chirik, Scheva ſub Iod evaneſcẽte, quia Iod Scheva quieſcens ſub ſe non habet: ut,* כְּיָמוֹת *sicut dies. 8. Ante nomen Elohim habet Iſeri, quod ex Seghol & Cateph ſeghol eſt cõtractum:* כֵּאלֹהִים *sicut Deus. 9. ante nomen Iehova, habet Pathach: ut,* כַּיהוָה *sicut Iehova. Nam nomen Iehova, ut ſuam formam accipit à nomine* אֲדֹנָי: *ſic etiam ejus puncta, literæ ſerviles quæ præponuntur, accipiunt. Hoc Caph aliquando adſciſcit particulam* מוֹ, *quæ nihil ad ſignificationem facit, ſed additur elegantiæ & metri gratia, Efficit etiam integram ſyllabam: ut* כְּמוֹ *sicut. Hoc modo ſæpe affixæ recipit: ut,* כָּמוֹךָ *sicut tu:* כָּמוֹנִי *sicut ego.*

II. *Aliquando notat paria, quando vna res*

alteri prorsus æquiparatur, tunc duas res pariter inter se adæquat, sic ut qualis una res esse dicitur, talis etiam altera sit, sine ulla vel elatione vel remissione, tunc brevitatis gratia duabus rebus inter se similandis Caph similitudinis præponitur: ut Gen. 18. v. 15. erit כַּצַּדִּיק כָּרָשָׁע *sic justus sicut malus.* כָּאָב כַּבֵּן *sicut Pater ita filius,* כָּאֵם כַּבַּת *sicut Mater ita filia,* כַּכֹּהֵן כָּעָם *sicut sacerdos ita populus. Hoc Caph quo ad punctādi nationem, formam Caph similitudinis sequitur.*

III. *Sæpe est nota conjecturalis, cum aliquis de aliqua re aliquid certi statuere non potest, sed per modum conjecturæ hoc vel illud esse suspicatur. Hoc contingit tribus modis: 1. quando præponitur nominib. numerorum: ut, Ios. 4. v. 13.* כְּתִשְׁעִים שָׁנָה *quasi 40000.* כְּאַרְבָּעִים אֶלֶף *circiter 90. annos. 2. quando præponitur nominibus temporū: ut,* כְּנִיסָן *circa Aprilem.* כְּעֵת הַקָּצִיר *circa tempus messis. 3. quando præponitur nominibus mensuræ: ut Ruth. 2. 17. & fuit* כְּאֵפָה שְׂעֹרִים *quasi modium hordeorum. In hujusmodi exemplis Caph aliquam conjecturam denotat, & fere semper puncto Scheva afficitur, explicatur per voces, circiter, quasi, ferme, fere & similes.*

IV. *Sæpe habet vim & usum præpositionum, Secundum vel juxta, quando usurpatur sine collatione, sine numero & mensura: Psal. 52. v. 2.*

Gra-

Gratiam fac mihi Iehova כְּחַסְדֶּךָ *ſecundum miſericordiam tuam: Pſal.7.v.18. celebrabo Dominum* כְּצִדְקוֹ *ſecundum juſtitiam ejus.*

V. Sæpe alicujus rei certitudinem demonſtrat: Pſal.2.v.12. כִּמְעַט *certe ſubito.*

In verbis unicum habet officium, videlicet infinitivo præpoſitum gerundia in dum conſtituit: ut, כִּפְקֹד *dum viſitaret ſecundum viſitandum. Sic ut plurimum tempus præteritum denotat. Quænam puncta habeat in hoc officio ex conjugationibus cognoſcendum.*

Caph ſubjunctivum.

Caph ſubjunctivum eſt, quod dictionibus in fine additur. Ancillatur nominibus, verbis & particulis. 1. Eſt affixum, quod vim pronominis habet maſcul.gen. דְּבָרְךָ *verbum tuum. Ante ſe habet Scheva, quod in accentu diſtinguente, mutatur in Segbol. Aliquando in hoc accentu fit quaſi punctorũ tranſmutatio, ſic ut Camets in locum Scheva deſcendere, & Scheva in locum Camets aſcendere videatur. id præcipue fit in literis ſervilibus, cum affixa ſuſcipiũt:* לְךָ *pro* לְךָ *ad te:* בְּךָ *pro* בְּךָ *in te.*

In nominibus pluralis numeri ante ſe ſemper habet Segbol tam in accentu diſtinguente quàm extra eum, tunc Iod quieſcens præcedit affixum: ut, דְּבָרֶיךָ *verba tua.*

Hoc etiam contingit in duabus particulis, in quibus hoc affixum habet ante se Seghol, licet ipsa sit singularis numeri, ut עָלֶיךָ *ad te:* אֵלֶיךָ *ad te. Quod si Iod in voce singularis numeri præcesserit, habebit ante se Chirik magnum:* אָבִיךָ *pater tuus:* פְּקַדְתִּיךָ *visitavi te. Quando Caph in fine habet Scheva præcedente Tseri, tunc est fœminini generis:* דְּבָרֵךְ *verbum tuum ô fœmina. Item in verbis:* פְּקָדֵךְ *visitavit te. Hic in accentu distinguente nulla fit punctorum mutatio. Quod si vel Chirek vel Schurek præcesserit, præter ea nullum aliud punctum assumet: ut,* פְּקַדְתִּיךָ *visitavi te:* פְּקָדוּךָ *visitaverunt te.*

DE LITERA ת

Hæc litera ubiq; inservit, in principio medio & fine dictionis. In principio promiscuè nominibus & verbis inservit.

Nominibus quando inservit: format nomina verbalia, & variis modis punctatur. 1. Habet Scheva, in nominibus, quæ à verbis in media Vau quiescentibus, vel à verbis in medio deficientibus descendunt: sic à קוּם *surrexit fit* תְּקוּמָה *resurrectio: sic à* רוּם *exaltatus fuit, fit* תְּרוּמָה *oblatio: sic à* פִּלֵּל *fit* תְּפִלָּה *oratio. 2. Habet Pathach ut plurimum, si nomen formetur à verbo in ultima* ה *quiescente: ut, à verbo* כָּלָה *con-*

sum-

ſummatus eſt, ſit תַּכְלִית *conſummatio. Sic etiam habet Parhach, quando à verbis perfectis deſcendunt nomina: ut, à* לָמַד *didicit, fit* תַּלְמִיד *diſcipulus. 3. Habet Cholem, quando nomen deſcendit à verbo in prima Iod quieſcente: ſic Iod mutatur in Vau: ut, à* יָשַׁב *ſedit, fit* תּוֹשָׁב *incola. Aut habet Chirik, & ſic prima radicalis invariata ſervatur: ut, a* יָרַשׁ *poſſedit, fit* תִּירוֹשׁ *muſtum. de hac voce Grammatici inter ſe diſſentiunt, alii* ת *radicale alii ſervile eſſe volunt: ſed magis veriſimile eſt,* ת *eſſe ſervile, propter ætymologiæ vim. Deniq; habet Chirik parvum, ſubſequente Scheva muto, cum nomen utplurimum formatur à verbo perfecto: ut à* תִּפְאֶרֶת *fit* תִּפְאֶרֶת *gloria, majeſtas. Præter hoc officium,* ת *ſervile nullum aliud habet in principio nominũ.*

In verbis ejus uſus tantum in futuris reperitur, in quib. aliquot perſonas format, & ab aliis eas diſtinguit. 1. Conſtituit ſecundam perſonam maſc. gen. utriusq; numeri: ut, תִּפְקֹד *viſitabis tu vir:* תִּפְקְדוּ *viſitabitis eos viri. 2. Facit tertiam perſonam fœm. gen. ſing. num.* תִּפְקֹד *viſitabit fœmina. 3. Format ſecundam perſonam fœm. gen. ſing. num.* תִּפְקְדִי *viſitabis fœmina. 4. Format ſecundam & tertiam perſonam pluralem fœmininam,* תִּפְקֹדְנָה *viſitabitis vel viſitabunt fœminæ. Præter hæc officia non habet alia in principio verborum.*

De ת medio.

ת in medio dictionis, quando verbis inservit, habet duo officia.

I. *Est nota formativa Conjugat. hithphael: ut* הִתְפַּקֵּד, *visitatus est.*

II. *Est nota primæ & secundæ personæ, utriusq; generis & numeri præteritorum: ut* פָּקַדְתִּי פָּקַדְתָּן פְּקַדְתֶּם פָּקַדְתְּ פָּקַדְתָּה

In nominibus quando inservit, habet duo officia: 1. Ponitur loco ה, *quando illud mutatur in* ת *sequente* ה *paragogico: ut,* צָרָתָה *maxima angustia:* יְשׁוּעָתָה *omnimoda salus. 2. Ponitur ante affixa loco* ה. *Nam quando nomina fœm. gen. in* ה *desinentia, assumunt affixa,* ה *mutatur in* ת: *ut,* צִדְקָתְכֶם *justitia vestra. Præter hæc nulla alia habet officia in medio dictionum.*

De ת finali.

Hæc litera ad varia officia adhibetur.

I. *Constituit aliquot nomina verbalia, & simul genus fœmininum indicat: ut,* קְטֹרֶת *suffitus:* תּוֹחֶלֶת *spes. In quibusdam ante se habet Schurek: ut,* מַלְכוּת *regnum. Hic observandum est, quod aliquando nomina hoc modo formentur ex aliis nominibus: ut, à* רֹאשׁ *caput, fit* רֵאשִׁית *principium: à* גֹּפֶר *lignum leve* גָּפְרִית *sulphur. Hujusmodi nomina, quæ in* ת *desinũt, quot-*

quotquot sunt, fœminini generis sunt.

II. *Formatpluralem numerum fœminini generis:* צְדָקוֹת *justitiæ:* בְּנוֹת *filiæ. Hoc* ת *semper ante se habet Vau cholem. Pauca nomina reperiuntur, quæ sub terminatione fœminina sunt masculini generis: ut,* אָבוֹת *patres.*

III. *Est nominis constructionis nota, quando duo nomina ita conjunguntur, ut unum ab altero dependeat, & quasi gubernetur: ut,* תּוֹרַת יְהוָה *doctrina Domini. In hoc & similibus, He fœminininum mutatur in Thau, propter subsequens nomen genitivi casus.*

IV. *Facit participia fœminina status vel constructi vel affixi: ut,* פֹּקֶדֶת *visitans fœmina.*

V. *Est infinitivi index in verbis prima Nun vel Iod Deficientibus: ut,* צֶבֶת *stare:* גֶּשֶׁת *accedere. Idem fit in verbis in prima Iod quiescentibus:* שֶׁבֶת *sedere, a* יָשַׁב *sedit.*

VI. *Gerundiis verborum in ultima* ה *quiescentium, in fine additur* ת *præcedente Vau Cholem: ut,* לְגֹלוֹת *ad migrandum. Idem fit in verbis dupliciter imperfectis, quæ in utraq; extremitate literam quiescentem habent, utpote Iod in prima, He in ultima:* לִירוֹת *ad jaculandum, a* יָרָה *jaculatus est. Hæc de hujus literæ ministeriis ubique locorum, dicta sunto.*

DE LITERA בּ

Hæc litera tantùm in principio dictionũ inservit, vel in nominibus vel verbis, vel particulis.

In nominibus multarum diversarum præpositionum vim habet.

I. *Præpositionis in: ut,* בְּרֵאשִׁית *in principio,* בְּדֶרֶךְ *in via. Hoc Beth, quia aliquid in re aliqua singulariter observandum notat, ideo appellatur apud Hebræos, Beth* הַתּוֹךְ *vel* הַקֶּרֶב *id est, ipsius medii: sic dictum, quod aliquid in eo, de quo agitur, fieri significet.*

II. *Nominibus Dei, post verba confidendi & sperandi præpositum, vocatur Beth* הָעֵזֶר *id est, auxilii, quod auxilium à Deo petatur & accipiatur: ut,* בְּטַחְתִּי בַיהוָה *cõfisus sum in Domino.*

III. *Nominibus ablativũ instrumenti notantibus præponitur: ut Psal 2. 9. Confringes eos* בְּשֵׁבֶט *cum sceptro. Hoc Beth Hebræi appellant Beth* הַכְּלִי *instrumenti, quod in ea sit vis faciendi ea quæ dicuntur, quasi virtus sit in illa re.*

IV. *Ablativi precii ministerio litera Beth exprimi solent: ut, Gen. 23. 9. Det mihi speluncam* בְּכֶסֶף מָלֵא *in argento pleno.*

V. *Sæpe notat modum actionis, qui per ablativum exprimi solet: ut Psal. 104. v. 24. & omnia illa feci sti* בְּחָכְמָה *in sapientia, hoc est, sapienter.* בִּתְבוּנָתְךָ *in prudentia, id est, prudenter.*

Hoc

Hoc Beth Hebræi appellãt Beth דֶּרֶךְ *viæ, quod modum ac viam agendi demonſtrat.*

VI. Sæpe notat uniusrei ad alteram adhæſionem: ut, Gen. 2. v. 24. & adhærebit בְּאִשְׁתּוֹ *uxorẽ ſuæ. Hoc loquendi genus ſummam earumrerũ adhæſionẽ deſignat, ob id appellatur Beth* הַדְּכוּק *adhæſionis, quod arctiſſimam & inſeparabilem unius ad alterum adhæſionem denotat: habetq; ſuum uſum, in iis, qui ſanguinis affinitate ſunt conjuncti, & ſingularis amicitiæ vinculum inter ſe mutuum habent.*

VII. Sæpe valet p̃poſitionẽ Pro: Gen. 41. v. 55. & clamaverunt ad Pharaonem בַּלָּחֶם *pro pane.*

IIX. Aliquando valet præpoſitionem Cum: Ex. 15. 19. Ingreſſi ſunt equi Pharaonis בְּרִכְבּוֹ *cum curru ejus.*

IX. Interdum uſurpatur pro præpoſitione propter: ut Ion. 1. 15. בְּנֶפֶשׁ *propter animã: Gen. 29. 18. Inſerviam tibi ſeptem annos* בְּרָחֵל *propter Rachelem.*

X. Aliquando æquipollet præpoſitioni Ad vel In, motum in locum ſignificanti: ut Pſal. 36. v. 6. Miſericordia tua בַּהַשָּׁמַיִם *in vel ad cœlum.*

XI. Nonnunquam valet præpoſitionem Contra: Pſal. 34. 17. vultus Domini בְּעֹשֵׂי רָע *contra factores mali.*

XII. Sæpe ſubit vicẽ præpoſitionis Inter: Pſal. 54. 6. Dominus eſt בְּסוֹמְכֵי נַפְשִׁי *inter ſuſten-*

tatores animæ meæ. Psalm.44. v.12. dispersisti nos בַּגּוֹיִם *inter gentes ipsas.*

XIII. *Sæpe habet vim præpositionis* מִן *ex, & causam materialem notat, estq; ablativi casus nota: Ex.38.v.8. Fecit basin ejus ancam* בְּמַרְאוֹת *ex speculis. Ex.35.32. ad operandū* בַּזָּהָב *ex auro.*

XIV. *Aliquando habet vim præpositionis Super. Iesa. 21.13.* מַשָּׂא בָּעֲרָב *onus super Arabiam. Talia exempla sunt rariora.*

XV. *In formulis jurandi sæpe adhibetur, & tunc habet vim præpositionis Per. Ios.2.12. Nunc jurate mihi* בַּיהוָה *per Iehovam. Eandem vim habet cum recipit affixa, sed nominibus non præponitur: ut Gen. 22.16. Iuravi inquit Iehova* בִּי *per me. Hujusmodi dicendi genera passim in propheticis scriptis obvia sunt.*

XVI. *Inservit infinitivis verborum, & ex illis facit gerundium in Do.* כִּפְקֹד *in visitando.*

XVII. *Sæpissime præponitur pronominibus concisis, quæ vocantur affixa, tunc ut plurimum valet præpositionem In, aliquando etiam Inter:* בָּךְ *in te,* בָּכֶם *in vobis, vel inter vos: sic una litera servilis suscipit alias serviles.*

XIIIX. *Præponitur etiam adverbiis negandi, & tunc vehemens negatio notatur:* בְּלֹא *non, nequaquam.*

XIX. *Quasdam præpositiones constituere & formare videtur:* בְּגַלַּל בַּעֲבוּר *propter.*

DE

DE LITERA א

Hæc litera cum radicalis est, quovis loco dictionum ponitur. Cum verò servilis est, tantùm à capite vocum inservit, habetque duo officia:

I. Puncta eius tunc sunt vel Seghol sæpius, vel Pathach rarius: ut, אֶזְרַע *brachiũ,* אַשְׁמוּרָה *carcer, custodia. Sic in nominibus semper præponitur, præterquam in uno vocabulo sc.* הֲמֻגָּא *commotiõ, quod legitur apud Ies. cap. 19. v. 17. In Chaldaica linguâ, Aleph fini nominum sæpe adjicitur:* צִדְקְתָא *justitia.*

II. Est nota Characteristica primæ personæ, communis generis futuri, idq; in omnibus conjugationibus omnium ordinum: אֶפְקֹד *visitabo. Quæ ejus puncta sint in singulis conjugationibus videndum.*

OBSERVATIONES.

I. Hoc Aleph interdum adverbiis temporis præpositum reperitur: אֶתְמוֹל *heri.*

II. Aliquando est epenthicum, quod literis radicalibus ad ornatum scripturæ inseritur: ut, שְׂמֹאל *sinistra.*

III. In verbis, ab initio pro litera He conjugationis Hiphil nota, ponitur: ut, אֲגָאִיל *pollui pro* הֶגְאִיל, *licet Hebræi pro more suo in formatione Hiphil aliquando He in Aleph mutent, tamen*

hac in re Chaldæos imitantur, qui hanc conjugationẽ sæpius formant litera Aleph cũ Pathach.
IV. In verbis aliquando per paragogen in fine adjectum videtur: ut, הֲהָלְכוּא *qui iverant.*
V. Aliquando in fine verbi pro He tertia radicali ponitur: ut, רָצָא, *pro* רָצָה *bona voluntate acceptare. In his observationibus Aleph nihil format sed ad ornatum scripturæ additur.*

DE LITERA ל

Hæc litera quando servilis est, habet officia & plurima & scitu necessaria, eaq; in genere triplicia: vel. n. monstrat casum, vel cõstituit gerundia in Dum, vel multarũ præpositionũ vicẽ supplet.
I. Igitur est dativi casus articulus, quando scilicet adductio alicujus rei ad substantiam aliquam significatur: Psal. 3. v. 3. multi dicunt לְנַפְשִׁי *animæ meæ. Hæc litera hoc modo accepta, nominibus appellativis inservit & præponitur. Sic aliquando geminatur, & utriq; nominî præponitur: Psal. 74. 14. tu dedisti eum escam* לְעָם לְצִיִּים *populo habitatoribus deserti. Aliquando etiam nominibus propriis præponitur, si cum verbo construuntur, quod sua natura & significatione dativum sibi adjungi postulat: ut,* אִמְרוּ לְדָוִד *dicite Davidi: Sic sæpe duplicatur, & duobus nominibus præponitur: Gen. 32. vers. 4.* לַאדוֹנִי לְעֵשָׂו *Domino meo Esau.*

II. Sæpe

II. *Sæpe est dativi casus nota & articulus, quoties affixa assumit: ut,* לְךָ לָךְ *tibi,* לוֹ *ei,* לָהֶם *illis. Sed si post verba transitiva cum affixis venerit in eodem distinctionis termino, est accusativi casus articulus: Psal. 2. v. 4. at Dominus* יִשְׂחַק לָמוֹ *deridebit eos:* יִלְעַג לָמוֹ *subsannabit eos. Sæpissimè etiam est genitivi casus nota, & tunc nominibus propriis præponitur, & sic sæpe possessionem denotat:* מִזְמוֹר לְדָוִד *Psalmus Davidis. Aliquando duplex Lamed adhibetur & duobus nominibus per appositionem præponitur: ut, Psal. 18. 1.* לְעַבֶד יְהוָה לְדָוִד *servi Iehovæ Davidis. Hîc litera & præcedenti & sequenti nomini per pleonasmum est præfixa. Hoc quando fit, tunc posterius est prioris exegesis. Deinde ostenditur illorum nominum ordinem & collocationem esse inversam, prius nomen debebat sequi, posterius præcedere jure constructionis: ut, Canticum Davidis, nimirum servi Iehovæ: vide simile exemplum Psal. 36. 1.*

III. *Post verba transitiva, nominibus præposita est accusativi casus nota: Psalm. 145. 14.* הַכֹּפְפִים יְהוָה לְכָל־הַנּוֹפְלִים וְזוֹקֵף לְכָל־הַכְּפוּפִים *sustentat Iehova omnes cadentes & erigit omnes prostratos. Psal. 116. vers. 16. Solvisti* לְמוֹסְרָי *vincula mea: Esa. 16. v. 14. Ne seducat* לָכֶם *vos: & cap. 32. v. 1. & tenebunt* לְשָׂרִים *principes. In his & similibus exemplis, litera*

Lamed præponitur nominibus, in quæ transit verborum transitivorum actio, & hoc modo habet vim & constructionem particulæ אֵת, *quod diligenter notandum.*

IV. Præponitur infinitivis verborum, & constituit gerundia in Dum: לִפְקֹד *ad visitandum. Hoc modo futurum tempus designat, & eleganter explicatur per causalem particulam Vt.*

V. Aliquando dictionibus consignificativis perquam eleganter præponitur: ut לְלֹא *ad non,* לְנֶגֶד *ante.*

VI. Multarum præpositionum vices subit, atque ita ut varios significandi modos habet, ita variè usurpatur. Quarum autem præpositionum vice fungatur, ordine evidentibus exemplis ostendetur.

I. Notat motum ex uno loco in alterum, tunc valet præpositiones In vel Ad: Gen. 31. 4. dixit Iehovah ad Iacobum: Revertere לְמוֹלַדְתֵּיךְ *ad cognationes tuas. Psal. 88. 4. vita mea venit* לִשְׁאוֹל *ad sepulchrum.*

II. Valet præpositionẽ in, in aliquo loco, Psal. 31. v. 18. improbi obmutescẽt לִשְׁאוֹל *in sepulchro.*

III. Valet præpositionem in vel propter, ut Gen. 26. 6. quæsiverũt homines illius loci לְאִשְׁתּוֹ *propter uxorem ejus. Mal. 2. 3.* לָכֶם *propter vos & Genes. 2. 23.* לְזֹאת *propter hoc Ioel. 2. 18.* לְאַרְצוֹ *propter terram eius.*

IV. Ali-

IV. Aliquando valet præpositionem Contra, & tunc in malam partem accipitur: Psal.37.32. speculatur impius לְצַדִּיק *contra justum.*

V. Habet vim præpositionis, pro: Gen.30.31. quando operabor לְבֵיתִי *pro domo mea. Exod.11. v.3. Erit illis later* לְאָבֶן *pro lapide, & bitumen erit illis* לַחֹמֶר *pro cæmento, seu intrita.*

VI. Aliquando æqui pollet præpositioni Ex vel A: ut, Psal.68. fugerunt לְפָנֶיךָ *ex conspectu tuo. Gen.14.19. Benedictus & Abraham* לְאֵל *à Deo.*

VII. Sæpenumero habet vim præpositionis de: ut Psal. 40. v.18. Dominus cogitabit, לִי *de me: & v. 16. qui dicunt,* לִי *de me: Psal.41.v.8. Omnes osores mei cogitant malum* לִי *de me: Psal.91.v.10. Iehova præcipiet* לָךְ *de te: Sam.11. v.3. interrogavit eos* לְשָׁלֹם הָעָם *de pace populi. Ibidem vide plura exempla.*

VIII. Sæpè habet vim Præpositionis Pro: ut Psal.118.6. יְהוָה לִי *Dominus pro me, id est, me curat & juvat & ab omni malo defendit. Genes.11.3.* לְאָבֶן *pro lapide.*

IX. Aliquoties valet Præpositionem, Post: ut, Genes.7.4. Et לְיָמִים שִׁבְעָה *post dies septem. Similia exempla passim in Prophetica Scripturæ obvia sunt, quæ diligens lector facile notaverit.*

X. Aliquando habet vim literæ Caph similitudinis, ut 1.Sam.1. v.11. reputavit eam לְשִׁכֹּרָה *sicut ebriam. Ezech.11.v.10. Eritis in medio* לְבָשָׂר

tanquam caro. Talia exempla diligenter notanda ſunt, ne tota ſententia corrumpatur.

Hæc litera punctatur eodem modo quo Beth & Caph: hoc tantum habet peculiare, quòd ante dictiones monoſyllabas, & voces accentum in penultima habentes, habeat Camets longum: ut, לָקוּם *ad ſurgendum,* לָשֶׁבֶת *ad ſedendum, & ante Iod ſcevatum ſortitur Chirik magnũ, in quo Iod quieſcit, Scheva ſub eo evaneſcente: ut* לִירוֹת *adjaculandum. Ante aliam literam Scevatam notatur Chiric parvo: ut,* לִפְקוֹד *ad viſitandum. Quando He Demonſtrativum includit, iisdem punctis notatur, quibus ipſum He demonſtrativum afficitur. Ante literas Gutturales rapto punctonotatas, habet ſub ſe ſimplex affine punctum, quod ſub gutturalibus eſt compoſitũ. Hæc quatuor poſteriora habet communia cum literis Beth & Caph.*

DE LITERA ל

Hæc litera quãdo famulatur, ubiq; officia ſua præſtat. In principio habet duo officia.

I. *Quando futuris verborum præponitur, eſt index tertiæ perſonæ maſc. gen. utriuſq; numeri, idq; in omnibus futuris quarumlibet conjugationũ & ordinum: ut,* יִפְקֹד *viſitabit vir:* תִּפְקֹדוּ *viſitabunt viri.*

II. *Format nomina idq; dupliciter.* 1. *Appel-*

pellativa nomina constituit : יְקוֹם *substantia:* יְלְקוּט *pera pastoralis. Deinde constituit nomina propria: ut,* יַעֲקֹב *Iacobus :* יִצְחָק *Isaac. In his omnibus notatur Chiric parvo sequẽte Sceva muto, sed si sequatur litera gutturalis cum puncto composito, tunc Iod notabitur puncto cognato simplici, nam litera gutturalis punctat se & consonantem præcedentem. Quæ regula est perpetuò vera nisi litera proximè præcedens sit radicalis, et puncto formativo affecta: ut* לְחֶקֶן *procul recesserunt :* פֹּעֲלִים *operantes. Hic Camets & Cholem sunt puncta formativa temporum, itaq; propter cõposita puncta sub gutturalib. non mutantur.*

In medio habet septem officia. 1. Informat conjugationem Hiphil, הִפְקִיד *fecit visitare. 2. Format aliquot nomina adjectiva: ut,* חָסִיד *pius clemens, & substantiva: ut,* בְּעִיר *jumentũ, brutum animal :* גִּבּוֹר *vir herous. In his & similibus Iod semper quiescit in Chiric magno. 3. In nominibus & participiis masc. gen. inservit Iod ad constituendum numerũ pluralem: ut,* דְּבָרִים *verba. In his & aliis consimilibus Iod similiter quiescit in Hiric. Et dualem: ut,* רַגְלַיִם *pedes. In hoc & omnibus ejusdem generis aliis Iod puncto afficitur & pronuntiatur, sic distinguitur à nominibus masc. gen. plur. num. quæ in Iod & Mem regulariter desinunt. 4. In quibusdam etiam fœminini generis in plurali numero inservit: ut,*

נָשִׁים *mulieres. In his Iod perpetuo quiescit in Chiric magno.* 5. *In verbis quiescentibus in ultima He, ponitur Iod loco He in primis & secundis personis præteritorum :* גָּלִיתָ *ascendisti.* 5. *In nominibus in* וֹת *desinentibus, additur Iod tanquam altera nota multitudinis, accedente quovis affixo : ut,* צִדְקוֹתֵינוּ *justitiæ nostræ, in hujusmodi exemplis , Iod quiescit in Seghol.* 6. *Post* אֵל & עַל, *accedente affixo assumitur Iod, tanquam nota pluralis numeri : ut,* עָלַיִךְ *ad te.*

Iod finale decem habet officia.

I. *Designat aliquã certam gentem, & sic formatnomina gentilia:ut,* עִבְרִי *Hebræus.*

II. *Nominibus propriis postpositum, aliquem ex ea tribu vel familia denotat : ut,* רְאוּבֵנִי *Rubenita.*

III. *Post nomina urbium, significat aliquem ejus incolam,* יְרוּשַׁלְמִי *Ieroſolymitanus.*

IV. *Post nomen provinciæ significat aliquem ex illa provincia : ut,* מִצְרִי *AEgyptius.*

V. *Format & constituit secundam personam fœm.gen.sing.num.Imperativi modi.* פִּקְדִי *visita tu fœmina.*

VI. *Constituit secundam personam fœm.gen. futurorum,* תִּפְקְדִי *visitabis tu fœmina.*

VII. *In verbis & nominibus sæpe est affixum, positum pro pronomine primæ personæ,* פִּקְדִי *visi-*

visitavit me: דְּבָרִי *verbum meum. Hoc Iod semper quiescit in Chirik, in singulari, præterquam in duabus particulis, in quibus habet ante se Pathach discretionis gratia: ut,* אֵלַי *ad me:* עָלַי *contra me. Sic distinguuntur à duobus nominibus Dei, in quibus Iod affixum habet ante se Chiric magnum in quo quiescit: ut,* אֵלִי *Deus meus* עֶלְיִי *excelsus meus. In plurali regulariter habet ante se Pathach,* דְּבָרַי *verba mea. Sic Patach ante Iod discernit pluralem numerum à singulari.*

IIX. Est nota pluralis numeri in nominibus masc. gen. in constructione positis: ut, דִּבְרֵי יְהוָה *verba Domini. Hoc Iod semper ante se habet Tseri, ut distinguatur à Iod affixo singulari.*

IX. Aliquot nomina verbalia formant à participiis conjugationis Hiphil: ut, מַשְׁפִּילִי *humiliator. Talia per Iod in fine additum fiunt nomina substantiva: quod si Iod esset paragogicum, ut nonnulli autumant, participiorum significationem retinerent. In his omnibus usq; ad finem literæ Iod in fine, ante se, habet Chiric magnum in quo silet & non legitur.*

X. Sæpe est in participiis paragogicũ: ut, שֹׁכְנִי *habitans.*

Deniq; duobus nominibus in statu constructivo subjungitur: ut, אֲבִי *Pater:* אֲחִי *Frater: sic statum constructum à statu absoluto discernit.*

DE LITERA נ

Hæc literæ in utraq; extremitate inservit & habet officia perneccessaria. In capite dictionum præstat quatuor ministeria.

I. *Constituit conjugationem Niphal, idq; in omnibus verborum ordinibus: ut,* נִפְקַד. *Hoc Nun regulariter habet Chirek parvum sequẽte Schevа muto. Si prima fuerit gutturalis, habet sub se vel Pathach vel Seghol, pro ratione compositi puncti sub gutturali.*

II. *Format primam personam pluralis numeri, communis generis, in omnibus futuris conjugationum,* נִפְקֹד *visitabimus nos: tunc eadem est punctandi ratio quæ in præterito conjugationis Niphal.*

III. *Format aliquot nomina propria: tunc habet vel Chirik parvum, vel Pathach vel Seghol,* נִמְרוֹד *Nimrod filius Chusi,* נַפְתּוּל *filius Iacobi ex Bilhah. Format etiam nomina propria locorum: ut,* נָפְתּוֹחַ *nomen loci cujus fit mentio Ios. 15. 9.*

IV. *Format aliquot nomina verbalia & appellativa: ut,* נֶאֱמָן *fidelis verax, estq; aliquando nomen Dei.*

In fine vocum diversimodè hoc Nun inservit:

I. *Multa nomina hujus literæ ministerio formantur: ut,* פְּדוּת *redemtio:* אֶבְיוֹן *miser, pauper. Hic observandum, quod in quibusdam nomini-*

bus

bus quandam deminutionem notet: אִישׁוֹן *nigra imago in pupilla oculi, in qua apparet figura parvi viri.* שַׁבְּתוֹן *parvum Sabbathum, quasi Sabbathiculum.*

II. *In nominibus & verbis sæpe est affixum, & vicem pronominis tertiæ personæ fæm. gen. & plur. num. subit: tunc venit ab integro pronomine* הֵן *ipsæ, & He abiicitur, ut cõmodior fiat affixio:* דְּבָרָן *verbum earum. Hoc Nun perpetuo ante se habet Camets, nisi præcesserit vel Chirek vel Vau cum Schurek, tunc præter hæc duo puncta nullo alio afficitur.* פְּקִדְתִּין *visitavi eas:* פְּקִדוּן *visitaverunt eas. Aliquando Vau cum Schurek adjunctum habet,* דְּבָרְנוּ *verbum nostrum. Quòd si fuerit affectum puncto Daghes efficit pronomen singulare tertiæ personæ mascul. gen. ut,* אַגְדְּלִנֵּהּ *magnificabo eum. Hæc de hac litera.*

DE LITERA ו

Hæc litera præterquam in duabus dictionibus, וָו *uncinus, &* וָהָב *onus, ab initio dictionis semper est accidentalis & servilis. Inservit autem ubiq;. In principio quando inservit, est V. consonans: quando vero vocalis est, habet vel Schurek in se vel Cholem supra se, & sic vocalem V & O supplet. Officia ejus sunt varia in capite vocum.*

1. Valet conjunctionẽ copulativam & vel atq;. Hoc Vau proprium & genuinum punctum ha-

bet Scheva, cujus loco propter certas causas aliâ sæpe puncta suscipit: ut וְהוּא *& ipse. Quod si prima fuerit gutturalis, quæ Scheva ab initio sub se non patitur, tunc habet vel Pathach, vel Seghol simplex, pro ratione compositi puncti sub gutturali: ut* וַעֲשֵׂה *& fac. 2. Si ponatur inter duas voces quarum posterior habet accentum in prima, tunc Vau habet Camets: Psal. 1. v. 3.* יוֹמָם וָלָיְלָה *die ac nocte. Sic etiam habet Camets ante dictionem monosyllabam: ut,* וָרָשׁ *& pauper. Quod si infinitivo monosyllabo veniente à verbo quiescēte media Vau, vel à verbo mediam geminante, præponatur, retinet suum Scheva:* וְשׁוּב *& redite* וְסוֹב *& circuite. 3. Habet Chirek parvum sub se, quando præponitur vel nominibus, vel futuris verborū à Iod Schevato incipientibus:* וְיָקָר *& dignitas,* וְיְדַבֵּר *& loquetur. Ratio est, quia Iod cum Scheva, ut grammaticis placet, non quiescit in æternum. Quod si Scheva sub Iod reservetur, id quiescit post Pathach. Hoc frequenter accidit in futuris Piel: ut,* וַיְדַבֵּר *& locutus est. Licet Iod Schevatum Daghes non recipiat ex sententia Grammaticorum, tamen illud daghessatur ante literas gutturales: ut,* וַיְחִי *& fuit:* וַיְחִי *& vixit. 4. Ante duo nomina Dei habet Pathach, Iod & Aleph quiescente: ut* וַיהוָה *& Dominus* וַאדוֹנִי *& Dominus. Ante nomen Elohim habet Tseri per crasin: nam*

duo

duo puncta Seghol simplex & compositum contrahuntur in Tseri, וֵאלֹהִים *& Dominus. 5. Ante quamlibet literam Schevatā habet Schurek,* וְלעֹלָם *Et in æternū. Hinc duæ sunt exceptiones.*

I. *Vau ante Iod Schevatum sortitur Chirik magnum, in quo Iod quiescit: ut* וְיִלָּדִים*, id est, & pueri:* וְיִחְי *& vivet,* וְיִהְי *& erit. 2. Ante literam gutturalem simplice Scheva notatam, Vau afficitur Chirick parvo: ut Gen. 3. v. 5.* וְהְיִיתֶם *& eritis. Ezech. 7. v. 6.* וְחְיִיתֶם *& vivetis sic etiā ante omnes literas labiales habet Schurek: Psal. 1. v. 1.* וּבְדֶרֶךְ *& in via. Hic observandum, quod hoc Vau nudum & solum, nulla præcedente consonante pronuncietur, quod fieri non solet. Nam punctum non pronunciatur nisi præcedente consonante. Sed si literæ labiales habuerint accentum distinguentem, tunc Vau habet Camets nō Schurek: ut Gen. 1. v. 2. & terra erat* וָבוֹהוּ *desolata.* וָמֵתוּ *& mortui sunt. Similiter Vau notatur Camez, si litera labialis accentū ministrum sibi adjunctum habeat, & monasyllaba dictio proximè subsequatur: ut, 2. Reg. 7. v. 4.* וָמֻתָנוּ שָׁם *& moriemur ibi.*

II. *Conjunctionis adversativæ vim habet: idq; potissimum tunc fieri solet, quando ab uno contrario ad alterum fit transitus, & Vau posteriorī præponitur: Psal. 1. v. 6.* וְדֶרֶךְ *sed via.*

III. *Habet vim particulæ causalis quia vel si-*

milis, quando vel propriam causam alicujus rei, vel necessarium eius cõsequens denotat: Ies. 53. v. 11. Servus meus justificabit multos וַעֲוֹנוֹתָם *quia peccata eorum portabit.*

IV. Aliquando habet vim conjunctionis disjunctivæ: Ex. 21. 10. qui percusserit patrem וְאִמּוֹ *vel matrem suam.*

V. Sæpe alicujus rei certitudinem notat, quando vel initio vaticiniorum, vel sententiarum ponitur: Ion. 1. 1. וַיְהִי *certe factum est. Sunt qui putent hoc Vau nihil plane significare: quàm hoc verum sit doctioribus judicandum relinquo.*

VI. Sæpe præteritum convertit in futurum, ratione significandi non forma scribendi: tunc regulariter habet suum genuinum punctum Scheva: וְשָׁמַר *& custodiet. Quod si prima litera sit labialis habebit Schurek,* וּבָטַח *& confidet. Hoc Vau duo habet officia, & copulat & convertit significationem præteriti in futuram, quando nullum aliud præteritum præcedit: quod si aliud præcesserit tunc solummodo copulat & non mutat:* אָכַל וְשָׁתָה *edit & bibit. Quod si duo præterita concurrerint, & Vau utriq; præponatur, tũc solũmodo copulat:* וְאָכַל וְשָׁתָה *& edit & bibit.*

VII. Frequentissimè futurum in præteritum mutat: tunc regulariter sub se habet Pathach sequente Daghes, וַיִּשְׁמֹר *& custodivit. Quod si præponatur primæ personæ futuri, quæ habet Aleph,*

Aleph, tunc Vau habet Camets in compensationem Daghes. Nam quando Daghes ex aliqua litera extruditur, præcedens breve punctum mutatur in longum: וָאֶשְׁמֹור *& custodivi. Quod si Vau Iod Schevato præponatur, tunc Daghes sine ulla compensatione excidit: ut,* וַיְדַבֵּר *& locutus est. Nam Iod Schevatum in futuris verborum regulariter nō afficitur puncto dages, nisi statim sequatur litera gutturalis: ut,* וַיְהִי *& fuit.*

IIX. *Quod si in aliqua longiore sententia multæ voces hoc Vau ante se habentes concurrerint, tunc habet vim cōtinuandi & voces & res. Genes. 25. v. 34.*

וַיֹּאכַל וַיֵּשְׁתְּ וַיָּקָם וַיֵּלֶךְ וַיִּבֶז עֵשָׂו אֶת הַבְּכֹרָה׃

Et edit, & bibit, & surexit, & abiit, & sprevit Esau primogenituram.

IX. *Aliquando in formatione nominis loco Iod primæ radicalis ponitur: ut,* וֶלֶד *&* וָלָד *puer vix natus à* יָלַד.

De ו medio.

Hoc Vau habet hic diversa officia. Quod si inter primam & secundam radicalem positum sit, tria in eo sunt observanda. 1. Vel format præsens tempus activum in omnibus verbis quorumlibet ordinum: ut, שׁוֹמֵר *custodiens est.*

2. Constituit nomina verbalia: ut, שׁוֹמֵר *custos. Hoc & quotquot sunt talia plura, quādo casum*

ſui verbi regunt ſunt participia, & præſentem actionem deſignant: quando verò cum ſubſtantivo nomine genitivi caſus conſtruuntur, tunc ſunt nomina verbalia, quæ rem denotant ſine tempore: ut, שׁוֹמֵר אָחִי *cuſtos fratris mei. 3. Vel cum verbo jungitur, cum quo cõvenientiam habet in genere & numero & caſu: ut,* שָׁפַט אָמַר *judex dixit. Quando verò inter ſecundam & tertiã radicalem ponitur habet quatuor officia. 1. Format paſſivum participium Paul: ut,* פָּקוּד *viſitatus eſt & adhuc viſitatur. 2. Format aliquot nomina adjectiva: ut,* חַנּוּן *clemens,* עָרוּם *aſtutus. 3. Format aliquot nomina ſubſtantiva: ut,* עַמּוּד *columna.* גְּדוּד *congregatio militum. In his & ſimilibus Vau Schurek, licet ſit vocale punctum, & non elementum conſonum, eſt tamen etiam eorum nota formativa. 4. Obſervandum, quod Vau loco Iod in Niphal & Hiphil verborum in prima Iod quieſcentium ponatur, & tunc habet punctum Cholem:* נוֹשַׁב *collocatus fuit,* הוֹשִׁיב *collocavit.*

De ו ſubjunctivo.

In fine dictionum ſex habet officia.

1. Eſt nota characteriſtica pluralis numeri, idque quatuor locis. 1. In tertia perſona plur. num. præteritorum פָּקְדוּ *viſitaverunt. 2. In*

ſecun-

ſecunda perſona plur. num. maſc. gen. Imperativi modi פִּקְדוּ *viſitate. 3. In ſecunda perſona plur. num. maſc. gen. futurorum: ut,* תִּפְקְדוּ *viſitabitis. 4. In tertia perſona plural. num. maſcul. gen. futurorum,* יִפְקְדוּ *viſitabunt. In his omnibus Vau nullius vel generis, vel perſonæ, ſed ſolum plur. num. demonſtratio eſt.*

II. *Sæpe eſt affixũ tertiæ perſonæ, tam in verbis quàm nominibus, ſing. num. maſc. gen. id q; duobus modis: vel Vau venit nudum ac ſolum, & tunc habet ante ſe vel Camets: ut* דְּבָרָיו *verba ejus: vel habet Chirik magnum: ut,* פָּקַדְתִּיו *viſitavi eum, vel habet ſupra ſe Cholem,* דְּבָרוֹ *verbum ejus. Eſtq; pronomen conciſum ab integro* הוּא *ipſe, ſed in affixione He & Aleph abiiciuntur: vel accedit ad literam Nun: tunc eſt affixum primæ perſonæ plur. num. ut,* פָּקְדָנוּ *viſitavimus, vel aggregatur ad literã He: ut,* פְּקַדְתִּיהוּ *viſitavi illum.*

III. *Aliquando eſt paragogicum, & additur literæ Mem affixo: ut* לָמוֹ *illis.*

IV. *In quibuſdam nominibus verbalibus põnitur loco:* ה *ut,* עָנִי *afflictus.*

V. *Sæpe reperitur loco He poſitum in verbis infinitivi modi: ut,* עֲשׂוֹ *pro* עֲשׂוֹת *fac.*

VI. *Aliquando additur nomini cõſtructo Euphoniæ gratia: ut,* חַיְתוֹ *beſtia terræ. Præter has*

omnia Vau multa alia officia habet, quæ singula exemplis declarare velle, nimis longum & tædiosum foret. Aliquando enim rei amplificationem, vel conditionem, vel majorum, vel minorum, aut similium comparationem includit, & designat: interdum alicujus rei dubitationem, aut eius extenuationem innuit: denique non rarò alicujus rei causam reddit & demonstrat orationemq; disjungit. Hæc & similia diligẽs lector in propheticis scriptis facilè observare, & notare potest. Hac in re lingua Hebræa præ cæteris est admirabilis, quod uniùs literæ alio atq; alio ministerio tãtum efficiat & præstet, quantum Græci, & Latini nisi multis vocibus conjunctis & adhibitis præstare minimè possunt.

Hæc hactenus de literis servilibus dicta sunto: Est in singulis earum perspicuis & evidentissimis exemplis, quid loco quovis significet declaratum.

Est autem observandum, quod ex his literis servilibus sex, quæ voce הָאֲמַנְתִּי *comprehenduntur, sunt Grammatici, qui eas ad sola nomina formanda pertinere, nullumque præterea usum habere putant, qua sane in re falluntur. Nam si res accuratius expendatur, in qualibet vocum derivatione usum earum communem esse deprehendent, sic ut non solum nomina harum lite-*

literārum adminiculo formentur, ſed etiam conjugationes, genera, numeri perſonæ & tempora conſtituantur, atque ita tam verbis quam nominibus ſuo uſu communes ſunt & inſerviunt. Reliquæ literæ vel vicem præpoſitionum ſupplent, vel loco conjunctionum & adverbiorum ponuntur & uſurpantur.

FINIS.

Be 446 a

ULB Halle
004 346 602
3

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-437538-p0071-7

b.

LITERARUM SERVILIUM HEBRAICARUM CLARA ET PERSPICUA EXPLICATIO

QUA

Solidè per varia & illustria exempla demonstratur quàm illarum cognitio sit necessaria.

Prælecta in inclyta Academia Heidelbergensi, & jam in lucem edita

AB

HERMANNO RENNECHERO
Hebrææ linguæ ibidem
Professore.

Minimarum rerum cognitio ad magnas res intelligendas, persæpe est maximè necessaria.

BASILEÆ,
Typis CONRADI WALDKIRCHII.
cIↃ. IↃ. XCIX.